

JERZY WOJTCZAK

Warszawa, UW

QUID FIRMIANUS LACTANTIUS DE ORATIONE SENSERIT

Unamquamque de orationis natura et momento quaestionem cum tota de cultu divino quaestione arcte esse coniunctam nemo plane ignorat. Mirum tamen sane est Lactantium, quippe qui tot volumina conscripserit, nullam revera nobis orationem exhibuisse, qua pietatis eius et animi Deo devoti sincerum integrumque testimonium detur. Itaque de notione cultus divini apud Lactantium obvia brevi tempore alio ampliore meletemate disceptaturus et, quid causae sit, cur ita fecerit, explanaturus quaestionem hanc postea solvendam nunc reponam et tantum, quid de ipsa oratione iudicaverit, explicabo.

Cum in *Divinarum Institutionum* libro sexto de divino cultu dissereret, ait duo esse, quae deberent Deo offerri, nempe donum et sacrificium. Et quidem donum in perpetuum donatur, sacrificium autem ad tempus. Apud paganos autem donum nuncupatur, quidquid ex auro argentoque fabricatur, item quidquid purpura et serico textitur, sacrificium vero victima habetur et ea, quae in ara cremantur. Et statim addit: „Utroque non utitur Deus, quia et Ipse incorruptus est, et illud totum corruptibile. Itaque Deo utrumque incorporale offerendum est” Donum esse censet animi integritatem, sacrificium vero laudem et hymnum¹.

Itaque etsi proprio vocabulo Lactantius non utitur, orationem laude et hymno significari facile perspicitur. Immo animadvertendum est *Divinarum Institutionum* auctorem eam certe speciosissimam orationem putat, quae in decantando et glorificando Deo consistit. Affert etiam Lactantius verba Hermiae Trismegisti, quem cum prophetis consentire fatetur, qui de oblationibus et sacrificiis paganorum disserebat: „Nos vero gratias agentes adoremus. Huius enim sacrificium, sola benedictio”². His quidem citatis addit: „Et recte”. Siquidem constat scriptorem nostrum antiquos auctores saepe vituperare, raro autem probare, nihil impedit, quominus hanc sententiam Lactantio praecipue placuisse existimemus.

Ultimum denique argumentum, quo deprompto proposita nobis quaestiuncula solvitur, ab ipso Lactantio affertur, qui paulo inferius scribit: „Summus igitur colendi Dei ritus est, ex ore iusti hominis directa laudatio”³. Inde patet Christianae veritatis defensorem censere orationes veris Dei cultoribus fundendas imprimis in efferendo laudibus universorum Domino et celebrando nomine Eius versari oportere.

¹ *Div. Instit.* VI, 25, PL 6, 729 B.

² *Div. Instit.* VI, 25, PL 6, 730 B.

³ *Div. Instit.* *ibid.*, PL 6, 730 B.

Quaerat tamen fortasse quispiam, an Lactantius illas prorsus reiecerit orationes, quibus Deus rogaretur, placaretur, advocaretur. Novit profecto scriptor se de hac re posse interrogari et, postquam suam sententiam aperuit, addidit: „Sed ut sit (scilicet verus cultor) Deo carus omnique macula careat, misericordiam Dei semper imploret nihilque aliud precetur nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint. Si quid aliud desideraverit, non est opus dicto scienti, quid velimus”⁴.

Non ergo plane exclusit alias orationes Lactantius sed ex iis eam, qua Deus placaretur, agnovit, ceteras parum necessarias ratus.

Est quoque, quod animadverti placeat. Ait enim eodem fere loco scriptor: „Nec tantum hoc in templo putet sibi esse faciendum (scilicet verus cultor), sed et domi et in ipso etiam cubili suo! Secum denique habeat Deum semper in corde suo consecratum: quoniam ipse est Dei templum”⁵.

Nemo est, quin videat, quo haec enuntiatio spectet. Dum enim Lactantius etiam in cubili suo orari posse affirmat ac hominem templum Dei esse et Deum in corde suo consecratum habere asserit, in quo plane Paulum Apostolum sequitur (I Cor 6, 19), profecto ostendit non solum verbo sed etiam et mente hominibus esse orandum et in hoc ad recentioris aevi theologos accedere videtur, etsi paulo superius quoque dicit: „Verbo enim sacrificari oportet Deo”⁶. Contemptis enim gentilium cultibus et sacrificiis, id, quod maximum est, sacrificii genus indicat idemque proprium veri nominis Christiani esse declarat. Cum Lactantii operum lectoribus satis notum sit illum non admodum eruditum theologum fuisse, his eius explanationibus opinio nostra mitior reddi potest.

⁴ *Div. Instit.* ibid., PL 6, 730 B — 731 A.

⁵ *Div. Instit.* ibid., PL 6, 731—732 A.

⁶ *Div. Instit.* ibid., PL 6, 730 B.